IOHANNIS BAPTISTÆ OPERTI
SAVILIANENSIS
ERVDITIS IN REGIO TYPOGRAPHEO CHARTIS EMENDANDIS
PRÆFECTI
ET
IN COLLEGIVM ELEGANTIORIS LITERATVRÆ
TAVRINENSIS ACADEMIÆ
ADSCITI
ORATIO
QVA POST INAVGVRATIONEM GRATIAS AGIT



TAVRINI MDCCLXXXVI

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

Et spes, et ratio studiorum in Caesare tantum,
Solus enim tristes hac tempestate Camoenas
Respexit . . . .

I. Iuvenal. satyr. VII.

ORATIO.

Ὅσον οἰωνοσχόπικῶς, καὶ εὐδαιμόνως, quam auspicato videlicet, atque feliciter in florentissimum hocce Athaeneum, doctrinae, et musarum omnium domicilium, ac sacrarium veluti augustissimum ante ora, vultusque vestros, Praeses amplissime, Patres sapientissimi, quotquot adestis, doctrina, genere, dignitate spectatissimi, hilaris, ac laetus non modo prodeo, verum in hoc etiam lubens, volensque stadium ingredior celeberrimum! Quoties enim pulcritudinem, varietatemque disciplinarum hinc sedulo intueor, Regis illinc sapientissimi, ac vestrum indidem summum, ac prope incredibile beneficium diligentius reputo, quo in lectissimum istud doctissimorum hominum Collegium nullo quidem meo merito sum adscitus, toties nedum mihi maximum occurrit laetitiae, tacitaeque voluptatis argumentum, sed et illud animo simul, mentique suaviter obversatur, me nulla aliâ in re, aut jucundiori oblectationis sensu perfundi, aut plenius etiam, si mavis, fortunari potuisse. Nam, cum prudentissimi Magistratus decreto, cui rei literariae moderatio ab invictissimo Rege permissa est, qui quum de aliis severe, ac tamquam ex praescripto judicare soleat, ut me cohonestaret, non nihil etiam liberalitati suae concedi aliquando posse censuerit, atque e domesticis fere latebris, vel ex umbratili illa, ut satius dixerim,

Regii Typographei palaestra ad lucem hanc tantam evocarit, eo potiori jure intellexi nullum esse lumen ingenii, nullum eloquentiae flumen, nullamque dicendi copiam, quae faustitatem hanc meam circumscribere valeat, certisque terminis definire. Quid enim aedepol gloriosius, quam ad fulgentissimam illam verae sapientiae sedem, cuius una, ut inquit Isocrates, possessio est immortalis, *σοφία γάρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατων*, patrocinio vestro, atque favore secundis avibus fuisse delatum? Quid splendidius, aut ad laudem magnificentius, quam id, quod paucorum est *, haec sacra adire limina, et verendam huiusce loci auctoritatem attingere, quam nonnisi placidiori sidere editis, numinibusque gratiosis fas, juraque sinant **? Quid jucundius, beatiusve, quam sapientissimis maiorum gentium magistris adnumerari, eosque germanae eruditionis duces, consultoresque praestantissimos adhibere ***, quorum alii soluta, alii numeris adstricta oratione, omnigenaeque eruditionis gloria ceteris antecellant, palmamque praeripiant? Quod si fortuna hac tanta, tamque admirabili, ac prorsum inexspectata

---

* *οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς κόρινθον ἔσθ᾽ ὁπλοῦς. Strab. lib. VIII. pag.* 581.

** Naturam hic intellige eorum,

. . . quibus arte benigna

E mel'ore luto finxit praecordia Titan. *Juv. sat. XIV. vers.* 34. 35. *pag.* 465. *Ed. Westein.*

*** *σοφοῦ παρ᾽ ἀνδρὸς χρὴ σοφόντι μανθάνειν. Euripid. in Rhes. Act.* 1. *pag.* 392. *Edit. Gatspar Stiblin.*

est mihi maxime laetandum, quis, amabo, dies ad laetitiam hanc pectore exserendam opportunior, quam hic ipse dies niveo, uti aiunt, lapillo signandus, quemque gratiarum actioni vestris pro suffragiis sollemne, atque legitimum Maiores nostri esse voluerunt? Cum vero Regi optimo, quo non alter pietate, fide, religione, prudentia, consilio, rebusque fortiter, praeclareque gestis justior est, atque praestantior, tum vobis omni literarum genere scientissimis habendae sunt gratiae, qui adeo estis optime de me meriti, utinam haud vires me deficiant, neu mens haereat, et lingua! Quod dum superos, ut a me benigniores avertant, atque averruncent, demissius oro, audendum tamen hoc mihi certe, saxeus ni plane sim, atque experiundum *. Ὅσον itaque ὀιωνοσκόπικως, καὶ ἐυδαιμόνως voce, qua possum maxima denuo, atque iterum dicam: immortali namque Divini numinis voluntate, Regis munificentissimi clementia, annuentibus vobis, nictantibusque votis meis abunde est factum; nec te, quam quidam oppido aberrantes, fallentesque Deam faciunt, et coelo stultissimi locant, est cur ἐυτυχωτάτην, dextriorem nempe efflagitem, precibusque ulterius ambiam. Hoc quicquid honoris demum est, dignitatis, et gloriae quanti debeo faciam, gratiisque

---

* Διάπειρά τοι
βροτῶν ἔλεγχος. *Pind.*
Ολυμπ. Δ Ἀντισρ. α κώ
ἡ παντὸς λόγȣ κρείττων πεῖρα ἡμῖν μαρτυρεῖ. *Dionys.*
Alicarn. lib. III. pag. 148. lin. 47. Ed. Sylburg.

contentus litabo. Data enim mihi ad unum abunde sunt omnia, et cumulatius tantopere data, ut non ita facile ingenium inveniatur, quod huic debito gratiarum muneri ferundo sine offensatione sufficiat. Gestit nihilosecius oratio nunc mea, ac me prae gaudio, insignique laetitia exsultare jam ferme subigit, et in apertam etiam vocem, ac significationem erumpere, quo me auctius felicitate nulla, quam beneficio hoc vestro, et cooptatione hac mea perillustri dudum mihi expetita, acceptissimaque beari potuisse et vobis palam aperiam, et omnibus, ac singulis illuminate, dilucideque adpareat. Vos interea loci, summi ac splendidissimi Auditores, mihi per haec paullo confidentius ire adproperanti mitius adnuite; et si forte incitante laetitia praepostere omnia agam, nec ordinis legi, quam gratiis rependendis ipse constitueram affabre consulam, vestris me haud parum gratulantem, ovantemque officiis sequimini, ab eaque improvide desciscentem in viam, quaeso, remittite, et rei magnitudine, ac mole quandoque labantem sublevate.

At vero quid demonstrare laborem, quod vos ipsi optime nostis A. A. praestantissimi, et vel ex ea, qua medullitus animi exsultantioris nuperrima sum laetitia perfusus, et se se ore, vultuque prodente facile deprehenditis, et praeclaro de me sapientissimi Regis judicio gravissimo, et maximo, eximiaque ipsius in literas propensione, ac beneficentia indiciis inclarescit locupletissimis? Strictim illud, leviterque vestros dumtaxat ob oculos ponere non abs re idcirco autumavi,

nihil mihi quidem in tota vita honestius, nihil honorificentius alias contingere potuisse, quam Ordini huic vestro amplissimo accenseri, cui divinitus, quasi sacris quibusdam fuerim initiatus, haud quicquam est, quod pro voto uberius, suavius, aut felicitati meae, sortique adcommodatius in posterum putem humanitus obventurum. Si enim una, una est doctrinae laus, una literarum gloria, unum sapientiae * bonum, quod a cultissimis artibus, quodam veluti limpidissimo fonte perpetuo dimanans, veram, solidamque gignit felicitatem, nec minimum laudis, praemiique ex iis pol ille meruisse videtur, qui vobis res quasque maturius expendentibus, et aequa, justissimaque lance incorruptissime librantibus, heîc in vestrum numero, consessuque non gravate, nec aegerrime, sed mitiori, laetissimoque cooptetur supercilio, cur non vere aequissimo Jove hunc mihi diem solito nitentiorem faustis ominibus surrexisse crediderim? Cetera etenim neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum, ita ut, quemadmodum inquit Tullius, maximam eorum partem fortuna adroget sibi, attribuat, jactantiorque

---

* Sed nil dulcius est bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum, templa serena
Despicere, unde queas alios passimque videre
Errare, atque viam palantis quaerere vitae,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes, atque dies niti praestante labore,
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
Lucret. de nat. rer. 1.

vindicet, et si diis placet, in societatem gloriae audacior, insolentiorque se offerat, et rerum humanarum dominam ita se persaepe esse glorietur, ac jactitet, ut per omnia fere superbissime gliscat, serpat, pervadat, heîc nihilominus victam se fuisse, profligatam, stratamque humi etsi perinvita fateatur oportet. Hoc etenim in munere a vobis in me humanissime conlato, Regiis vero literis, eaque non tam in promissis, et fide, quam in regno tutando, gloria, robore, toga, armis, viribus, artibus, utilique commerciorum usu fovendo, augescendoque, manu invictissima firmatis, quamqui maxime fieri possit adaucto, in tanta doctrinae luce, atque haec ipsa intra moenia, quae plurimo fere dixerim, eruditionis sensu informata sapientiam undique redolere videntur, an quisquam tam plumbeus, et dîs, musisque natus aversis, aut bardus adeo, fungusque fortasse reperietur, qui eam solio prope suo miserrume deturbatam, coecamque illam, ac temerariam Divam, sua veluti ex arce deiectam, lacrumantem nequicquam, gementemque actutum non videat, et frontis eatenus perfrictae, nec rectum curvo dignoscentis, qui turpiter iverit inficias? Illud namque quantumcumque est, quod certe maximum est, tam longe abest, ut ipsius subsit imperio, quin etiam vi sua affatim, ac magnitudine coërcere, virtutisque suae nunquam interiturae intaminatis radiis eam perstringere, ac validissime praegravare videatur. Quae enim consilii ratio cum temeritate? Quae constantiae cum volubilitate coniunctio? Quae sapientiae, ut pressius

dicam, cum inscitia affinitas? Ecquid illa sibi juris hacce in re postularit, usurpaverit, quae tota ad scientiae, ingeniique cultum pertinet, in qua sola mentis acies, et intelligentia requiruntur? An quisquam erit unquam tam caeco, obfirmatoque animo, tam turpi inflatus errore, qui hîc fortunae levitatem *, et inconstantiam dominari posse crediderit? Nuspiam hoc puto gentium. At quispiam, inquies, pervicacius obverterit: fuerit ita: atqui negocio quicquid hoc rei pervincam levi, et ne cui videar vana fingere, vos ipsi A. A. sapientissimi judicatote. Vos, vos enim testes adestis, in quorum oculis, vultuque acquiesco, vos splendidissima literarum lumina, atque in omni scientiarum genere facile principes, qui quum earum ardentissimo flagraveritis desiderio, nervosque industriae omnes eo intenderitis, nunquam aut capto in utramvis aurem somno segnius retardatos, aut turpi avocatos otio, aut sequiorum voluptatum delinimentis, aut corruptelarum lenociniis, praestigiis, illecebrisque irretitos, aut delirantium captionibus deceptos conspiciens, una vos huc incredibilis, ac pene divina doctrinae virtus extulit, perduxit, et laurea, immortalique corona ditavit. Vos, qui literarum, quae graviorum quorumcumque fundamenta, et incrementum sunt, fastigium adscensu asperum, et sentibus obsitum

---

* Magna quidem sacris quae dat praecepta libellis,
Victrix fortunae sapientia . . . . *Juv. sat.* 13.

undequaque, et vepribus quaqua versus firmissime vallatum adire non dubitantes, altiusque illud in animis defigentes ἄνευ ἵδυς, καὶ πόνυ ὐδὲν πρᾶγμα τέλειον absque sudore nullum scilicet opus numeris omnibus esse absolutum, et ingentia praemia magno non nisi, improboque labori esse proposita, hoc ad culmen honoris non ancipiti fortuna duce, non popularem auram, aut ambitiosius suffragia captando, sed virtute auspice feliciter pervenistis. Oh incredibilem dum haec animum subit laetissima cogitatio huiusce diei candidissimo calculo praenotandi felicitatem! Oh summum reapse, et nullis non literis, monumentisque decorandum beneficium, nec voce tantum, quae semel emissa praeterit, ac vanescit, sed aeterna grati animi memoria, ac praedicatione colendum, ut quolibet sis perennius aere, omnisque posteritas alat, et ipsa intueatur aeternitas! Tu me sapientissimis viris quotquot latinis, graecisque literis eminent, quotquot puriori, ac veteri, castigataque dicendi elegantia, aut poetica omnium antiquiore, proficuaque facultate praefulgent, quotquot philosophia, quotquot medendi, jurisque dicundi, et sacrarum etiam, quod magis optandum, literarum augustiore scientia antistant, coelo fortunante aequiparas, ut quocumque convertam oculos, quocumque incidant ii, non nisi uberrimam hinc mihi gaudii, gloriaeque segetem oboriri videam, penitusque perspiciam: tu me antecessoribus clarissimis socium, comitemque adiungis, quorum cum alii studiosae juventuti Graeca recludant, et enucleent exemplaria, eaque adcurate

perlegant, imitanda designent, avide amplexentur, diu, noctuque pervolutent, et quidquid in iis melius, quam non in Crysippo, et Crantore, pulcri, bonique plenissimo ore bibant, fontesque hauriant puriores, incredibile memoratu, dictuque est quantum inde nostratium adolescentes utilitatis capiant, eruditionis, et gloriae, qui simul ac adoleverint ad sublimiora se accingunt studia. Quo enim meliori pacto, qua tutiori, firmissimaque via, ne quid ii impedimenti offendant, quod delassare, satietate afficere, detinere, avertere, et ab instituto cursu revocare valeat, eos forte fortuna condocefacias? An non ita potius, quod optumum, atque e re literaria esse queat, fructuosius pandant, aperiant, et digito prope commonstrent, ne quis illotis, quod aiunt, manibus ad doctrinarum sacra adtrectanda accedat, et labra incilibus proluat putidissimis, nubemque in veritate studiosius inquirenda, serioque pensitanda pro Junone ridicule, foedissimeque captet, et tempus, quod deterrimum est, frustra in disciplinis conterat impigre, sollerterque excolendis? Hinc vel a teneris unguiculis, unde felicioris exitus auspicia, quibus cor sapit animo semper praesumsere, quis non intelligat quanti faciendi ii sint literarum antesignani, ac totius veluti sapientiae Coryphaei, Homerum dico, Sophoclem, Pindarum, Euripidem, Isocratem, Platonem, Demosthenem, aliosque, quos consulto praetervolo bene multos notae melioris, ac frugis auctores: tu me adlegis illis, quorum alii Plauti salibus, et jocis, alii Terentii lepore, alii Virgilii maiestate, alii

Horatii, quo nihil canentis odas reperies sublimius, ea vi, ac suavitate detinentur cupidissima, ut hosce unos in deliciis habeant, prae oculis gerant, stylo referant, et omnium non fucata, non e triviis conquisita, non sciolorum vaferrima, et ad fastum composita eruditione, sed solida, puriorique doctrina animos in se, mentesque convertunt: tu me illis, quorum non paucis Quinctiliani robur, Senecae gravitas, Nepotis simplicitas, Flori venustas eo adrident usque, ut ea nihil habeant antiquius gravissimorum auctorum lectione: tu me illis, quorum nonnulli Caesaris facilitatem, perspicuitatem Varronis, Taciti nervos, acrem, concisamque Sallustii dictionem, lacteamque Livii ubertatem, quâ scriptis, quâ verbis, sciteque dictis assequi omni ope, ac pertinacissimo labore conantur, et quod in prima certe laude, et commendatione ponendum, Ciceronis copia, Demosthenis vi, Isocratis suavitate supra quam dici possit, eo itidem oblectantur, ut si capsis, illos ferme deperire aperte adseverare non ambigam: tu me illis, quorum plerosque, cum optimae juvenum institutioni, a qua patriae, et bonis omnibus concupita vera pendet felicitas, toto pectore incumbentes videas, Lynceoque pro fausto, optatoque eventu oculo excubantes, quantum ex eorum opera, labore, studiis, vigiliis in re etiam militari, in foro, legationibus, artibus vero quibuscumque, ac disciplinis emolumenti Respublica capiat exploratius est, quam ut quivis dicendo assequi possit. Id nimirum ex laudabili populorum omnium consuetudine

Aegyptiorum sane, Persarum, Graecorum, Romanorumque praecipue, tum etiam Maiorum nostrorum, nec satis commendabili exemplo, palam vobis, ac in propatulo est, qui in illud remis, velisque domi, belloque constantissime intenderunt, ut juvenum educationi caute, apprimeque prospiceretur; atque hoc ita, ut adolescentium animis optimis disciplinis, virtutumque propterea omnium ornamentis imbutis, virtutum excitarentur igniculi, et bacchantium ferociter vitiorum pestes, ac semina convelli facilius, tutiusque funditus possent exstirpari. Noverant enim homines cordatissimi, noverant hos inter limatiori judicio, sapientiaque, munere nostro divinitus afflati Sabaudi Principes deliciae nostrae, praesidiumque, noster amor, nostraeque felicitatis spes nunquam in aeterno eorum imperio defuturae: noverant, inquam, prisco Regum vere sanguine sati, qui sive pace omnium optatissima adridente, rebusque compositis vitam degerent, sive turbulentissimis temporibus Martis inter dira negotia ferro, igni, caedibusque truculentius omnia vastantis bellicos inter tumultus, quibus haec saepe regio, heu! quam meminisse animus refugit, quassata est, versarentur, cum omni exquisitiorum, Regiarumque virtutum genere exornatissimi fuere, tum praesentissimo sane literarum patrocinio laude omni, ac praedicatione maiores jugiter exstiterunt. Noverant hinc nempe Regni totius stabilitatem, hinc urbis pulcherrimae dignitatem, et Subalpinae totius gentis decus inde profluxurum sempiternum. Noverant id, quod ut paucis complectar, ipse innuerat

Cicero, non esse munus aliud maius, meliusque, quod afferre possimus Reipublicae, quam si docemus, atque erudimus juventutem. Cum vero huiusce Spartae, quae non apinis, neniis, gerrisque, ut quidam male feriati, crassoque, uti eos appellitat Horatius, Boeotum in aëre editi, falso sibi, insulseque persuadent, sed rebus gravissimis contineatur, munus egregium viris doctis, sapientiaque instructissimis demandari necessum est, qui tamquam e specula * oculis emissitiis ** omnia undequaque lustrent, ne quid distorti, pravique in juvenum optima irrepat institutione, quique probatissimos, a quibus literae profluxere, auctores explanent, interpretentur, elucident, serioque imitandos proponant; et tenellis adhuc mentibus instillent, eorum praestantiam ante oculos subiiciant, primos conatus foveant, magisque excolant, et in dies augeant, an ne haerentis etiam num, nutantisque animi sim, quin jure, et meritissimo quidem felicem me, beatumque praedicem, qui vobiscum possim adnumerari, quorum et erudire alios proprium, et ad omnia rite perpetranda iter expeditum, viamque ad res quasque praeclarissimas pro Republica capessendas communire tutissimam debeatis? Quam vero utile, ingenuum, eximiumque, et nunquam satis laudandum juventutis ad

---

* Imago

** Elegans epitheton, quo Plautus usus est. *Aul. l.* 1. 2. *Exeundum hercle tibi hinc est foras circumspectatrix oculis emissitiis.*

literas informandae officium sit, quam copiosissimi fructus, ac prope incredibiles in communem hominum promanent societatem omnis sensit aetas, plenique sunt omnes in hanc consensionem sapientum libri, plena exemplorum vetustas, et sollertissimorum virorum consiliis roboratur, confirmatur. Atque ut multa reticeam, deque industria praetermittam, quae si proferre in medium velim, vox, et latera prius me deficerent, quam omnia percensere possem, sensit hoc olim Philippus ille Macedonum rex fortissimus, cum non tam regni sui heredem filium sibi fausto natum sidere gratularetur, quamquod rhetoris praestantissimi, eximiique philosophi, Aristotelis hoc est tempore, vitales spiritus hausisset, quo duce, et moderatore omni disciplinarum genere imbui, et institui facillime posset. Sensit hoc idem invictissimus ille magnus Alexander Philippi filius, cuius fama, ac nominis celebritas totum quam late patet terrarum orbem pervaserat: sed quid noctuas Athenas? Facessant ii, quibus praeceptionum nostrarum exosum nomen est: facessant, si qui sunt, qui debacchantis ingenii furenti quodam veluti aestu compulsi gloriam, coelumque ipsum stultitia petentes haec ipsa, blaterantes, nigro dente mordent, et insectantur studia, parvi naucique pendunt, et cane peius aversantur, et angue, facessant, et Sauromatas ultra, et glacialem Oceanum explodantur omnino, atque amandentur, qui si in ea sunt haeresi *,

* Graec. αἵρεσις, electio, optio, secta.

quid caussae est, A. A. quin eos judicemus in turpissima rerum omnium ignoratione versari *? Quam velim ita me dii amarent, ut modo id mihi concederetur, quod chronographi solent, superiorem omnem memoriam ab ultima etiam vetustate percurrere! Hac enim via vobis fas esset, quantum omni aevo apud gentes, nationesque singulas praestantium literarum, literatorumque dignitas fuerit propius intueri! Fuere etenim humanitatis studia, ex quibus gratia, et quaelibet dicendi venus, omnisque lepos, et elegantia exstitere, nec ullo unquam ab populo exsularunt, aut non nisi injuria proscripta sunt, sed magni habita, et acrius exculta uti ea, quibus cetera suffulciuntur, et mirum augentur in modum. Re enim vera disciplinae aliae hirtum aliquid, et horridum, dissonum, durumque sonant, et nisi elegantioribus hisce nostris emolliantur, praeterquam non adeo ad morum, vitaeque mitigandam asperitatem idonea sunt, ita etiam hisce

---

* Hinc Quinctilianus in Prooemio institution. orator. totus in eo est, ut ostendat fuisse haec olim quemadmodum juncta natura, sic officio quoque copulata, ut iidem *sapientes*, atque *eloquentes* haberentur. Scidisse deinde se studium, atque inertia factum esse, ut artes esse plures viderentur: nam ut primum lingua esse coeperit in quaestu, institutumque eloquentiae bonis male uti, curam morum eos, qui diserti habiti sint, reliquisse, eam vero destitutam infirmioribus ingeniis veluti praedae fuisse.

e medio sublatis, non ita facile efficies, ut reliquas promto, paratoque animo amplectaris, aut in iis magno progredi cum fructu tandem aliquando possis. At enim, ut Flacci utar verbis: nihil moror exemplis, quorum me turba fatigat: vulgatissimum enim illud est, atque omnium ora versat viros sapientes, doctrinaeque praeditos ornamentis ea semper fama, ac celebritate claruisse, quae non cum vitae tempore foret dimetienda, sed omni posteritate adaequanda. Quae vero cum ita se habeant, an non te alloqui tandem fas mihi sit veneranda, et ingeniorum altrix vetustas? An non tute ipsa Poetarum, Rhetorum *, Oratorum, hoc est Sapientum ** voce, ac praesidio leniisse ferocitatem meritissime audis? An non tute eadem, quae ubi desidia, et pravae, effraenesque cupiditates grassabantur, et exsultantior insania dominabatur, lenitatis, modestiae, temperantiae, justitiae, humanitatis denique signa quaedam mortalibus in transversum actis, praecipitesque ruentibus sustulisti? Quem ea propter fallat, fugiatque e tuo quasi sinu doctrinarum praeceptis

* σοφιστὰς δὲ οἱ παλαιοὶ ἐπωνόμαζον, οὐ μόνον τῶν ῥητόρων τοὺς ὑπερφωνοῦντάς τε καὶ λαμπροὺς, ἀλλὰ καὶ τῶν φιλοσόφων τοὺς σὺν εὐρόᾳ ἑρμηνεύοντας. *Philostratus de vitis Sophistarum lib. I. fol.* 489.

** οἱ δὲ σοφοὶ, καὶ σοφισταὶ ἐκαλοῦντο. καὶ οὐ μόνοι, ἀλλὰ καὶ οἱ ποιηταὶ σοφισταί. κατὰ καὶ Κρατῖνος ἐν Ἀρχιλόχῳ τοὺς περὶ Ὅμηρον, καὶ Ἡσίοδον ἐπαινῶν, οὕτως καλεῖ. *Diogen. Laertius de vitis Philosophorum prooem. pag.* 8.

imbutos viros prodiisse celeberrimos, qui et ipsi sociali quoddam foedere homines devinxerint, et unumquemque ad honestissimam vitae consuetudinem legibus, praeceptis, exemplo adlicientes eam ubique populorum disseminaverint? Quamquam, quid ego inconsultus altius procedo, quam aut spatii mei sit, aut muneris ratio postulet? Utinam non hisce temporis premerer angustiis! prout forte nostrarum artium dignitas, et in humanum genus huiusce nostrae Academiae utilitas nullis est districta, et coarctata limitibus per singulas, veluti per patentissimum campum mea tum facile excurreret oratio. Sed nolo rem persequi infinitam, nolo in re prorsus ab instituti mei ratione aliena longius immorari: nolo, ne pauxillum quidem beneficii vestri immemor videri, cuius dum vita suppetet non obliviscar, neve ulla unquam tam sera, aut invida erit aetas obliteratura. Manet nempe, aeternumque alta repositum mente mansurum sancte, pie, religioseque spondeo vobis, atque polliceor. Quod si in humanis, uti fieri adsuevit, tum demum quibus bonis utamur manifeste intelligimus, quum eadem vel adversâ obnitente fortunâ, vel patronis ipsis deficientibus, vel diuturnâ nostrûm oblivione, aut, quod deterius est, laevo aliquo, tristissimoque fato aut penitus amissa, aut propemodum e manibus elapsa rebamur, ita receptis iis, quorum jactura intolerabilis pene videbatur, incredibilem animo voluptatem percipimus, quin ego vehementius, suaviusque commovear, et meam vobiscum pro accepto, jamque fere inopino

beneficio laetitiam effundam sincerissimam? Si enim ubi Sol, converso in Boream flexu, diem spargere coepit meliore coma, omnia illico recreari, refoveri, reviviscere, et ex diuturno veluti sopore excitari animadvertimus, annon idem mihi evenire debeat hac spe nova, novaque veluti vita humanitate vestra ad hoc culminis, tantique honoris consortionem elato, atque ita promoto, ut nihil amplius optem? An non mihi hic ipse dies animum accenderit, stimulosque acriores admoverit, ut jucunditate ipsa, dulcius, quam nunquam antea, laetitia efferar, et gaudio pene isto triumphem, quod proprium mihi esse jubet, atque perpetuum? Quod si nautis nunquam optabilior terra videtur, quam quum saevissimis in alto tempestatibus jactati de salute prope desperarint, et spem abiiecerint omnem, quid mihi nunc pariter animi esse minime oportuerit? Mihi, inquam, qui quum quatuor ac decem annos (ab Excellentissimo rei literariae Magistratu legitime missus, Rege dein nostro, cuius nomini pro dignitate satis honos haberi nequit, Eminentissimo olim Principi a Lanceis Christianarum virtutum cumulatissimo, vitiorum, pravarumque opinionum propugnatori acerrimo, Ecclesiasticique juris vindici sollertissimo, integerrimoque pro me in suscepto curriculo benignius, tamquam praesenti, adnuente) in aliis erudiendis, viamque ad eloquentiam commonstrando transegissem, ac salubri parum coelo viribus adtritus, et multo fractus labore, musis jam valedixeram, et rude donatus tantumdem fere temporis in quo sum, doctis, et laboriosis

chartis emendandis addictus, glorioso, et erudito pulvere, in quo, uti Virgilius, nunquam exhausti satis est, desudaverim, in literarium hunc ludum, et ceteris industriorem suffragiis vestris benignissimis includi denuo posse censueritis? Sed cur illa vetera tamquam vulnera attingo? an non haec, quasi mollius benignitate vestra attrectata moerorem a me quemlibet, et praeteritarum rerum susceptam moestitiam propulsent, depellant, eliminent, penitioremque animi laetitiam exprompserint? Salve jam vero lux fortunatissima, auspicatissima: salve ceteris beneficio tanto anteponenda: salve pario conscribenda marmori, quae si non nullis tardius affulsisse mihi ipsi videaris, cumulum tamen tu una etiamnum desideriis, votisque meis addidisti, eoque maiorem, quam a circumfusis undique aliis voluptatibus sperare possem; et omnia, si me non fallit animus, secunda, prospera, in dies laetiora, ac meliora portendere, neve in irritum mihi augurari plane videris. Non enim qui cito, temere, inconsulto, praepropere, fortuito, ambitu, clientelisque, sed qui propitio Deo, adridentibus superis, hominum vero summorum, quales vos estis, pensitato judicio, consensu unanimi, subactoque, et auctoritate certissima decernuntur honores, ii gaudium adferre nobis debent jucundissimum. Magnum enim vero fuisset, vos laborum, quos continenter pro re literaria nullis unquam difficultatibus, salebrisque perfractus, nullis infensissimis adversae fortunae telis accisus, nullis denique rerum ambagibus praepeditus sedulo mihi offendendos, obeundosque

putaram, rationem gessisse aliquam; longe sane maius in album quodlibet, censumque mitti virorum doctissimorum: maximum vero, ac mei fortassean pro ingenii modulo insperatum splendidissimum istud in Collegium humanissime evocari. Sapientissimi etenim Regis et votum exspostulatur gravissimum, et omnium praeterea quorumcumque, si gloriari libuerit, hoc ipsum primitus Taurinensis Academia constitutum laetabunda vidit, praeque aliis, quum illud ad graviores quasque disciplinas ingrediundas fructuosius, congruentiusque non immerito esset conspicata, gratanter excepit, simulque in dies magis, magisque lubentissime fovit, ac suus, dum constet literis honos, se complexuram peramanter profitetur. Absit tamen verbo invidia, et gloriolae, a qua plane mens refugit, studiosius aucupandae leviter, furtimque adlabens animis suspicio; neque enim quidquam aliorum dignitati, atque amplitudini detractum velim, quum neque decus inclutum, neque meritorum gloria perrara, neque splendidissima, aut summa alioqui verenda maiestas illis unquam abfuerit. Colluxit enim, et enituit vel initio illorum splendor, ac nobis non modo, sed et ipsis exteris gentibus semper illucescet, terrasque omnes, nec vana ominor, commmiscorque, remotissimas nominis, doctrinaeque fama, praeficiscine dicam, latissime pervadent, illustrabunt, complebunt. Isthaec vero, quasi temporis fuere diludia, quum jam tum ea ipsa spectabili, ac privata doctissimorum hominum opera mirifice ferverent, suo qui marte offusam undique praestantioribus

disciplinis caliginem excutiendam, literariis inter se initis conventibus curâ proposuerant sibi intentissimâ. An ne igitur mirum, si Taurinense hocce Archigymnasium Ludovici Sabaudi Achaiae, et Pelopponesi Regis beneficio primum funditus excitatum; sub Emmanuele autem Philiberto diu antea jacens, ac prope turbulentissimis tempestatibus, consepultum, ad nobiliorem gloriam deinceps revocatum, invictissimi vero Regis AMEDEI II opera, benignitate, effusisque largitionibus ad felicissimam denique aetatem liberalissime perductum, eo celebritatis, ac magnitudinis pervenerit, ut in haec amplissima coaluerint, et qualibet commendatione maiora Collegia, quae nunc vides, et nulla non gens, nulla non aetas hodieque, et firmius invalescere splendore ipso, ac dignitate percita erit conspectura? Rationum haec porro momenta animo mecum diligentissime pervolutanti, coelum mihi certe in beneficio hoc tanto accepisse videor, et quid gratiae vestrae, PP. SS. fusiori accedere oratione possit haud satis intelligo, nec quid mihi olim maiori pectus laetitia titillarit persentisco, nec quid tandem ad copiosiorem pro exhaustis, exantlatisque in re literaria laboribus fructum, magnificentius, aut amplius comparari posse queat ignoro. Agnoscant utique alii felicitatem suam, atque praestantiam, si rebus perfruantur commodis, prosperisque, si auratis tectis, pretiosaque supellectili, et fortunis detur quibuslibet uti secundioribus, si fumosas majorum imagines e vestibulo jactitent, et stemmata gloriosa, et genus crepent antiquum: gaudeant, per me licet, et

spiritus gerant sublimiores: mihi vero hoc tantum honoris, hoc tantum boni, et felicitatis indepto, haud illis nedum invidendum statuo, verum etiam quid maius Deum, superosque erogitem nec verbis exprimere, nec cogitatione satis consequi valeo. Quid haec A. A.? num tricis, reculisque, quam par est, in re tam clara, dilucida, et aperta prolixius vos immorer, quando alio impatiens morae festinat oratio? Quin ocyus hîc ego vestram, A. A. mellitissimi, fidem non indigitem, hîc vestram virtutem, sapientiamque, quo fieri adsolet cupidius non appellitem, efflagitem, desiderem? Componite sodes, mihi, et contendite cum isto, quo praegrandi animi gaudio me affecistis singula quaeque fortunae bona, commoda, possessiones, et corporis quantulascumque delicias, atque ex iis, si quas est reperire, omni ab parte beatiores. Circumspicite, adtentiusque perpendite, an earum excerpere e numero aliquam vobis forte contigerit, quae aut huic adsimilari, aut proxuma saltem exsistere possit. Potin', quaeso, ex iis ulla tam valide alicuius animum devincire, ita suaviter detinere, atque adeo plene, copioseque voti compotem reddere? Quis sanus, utcunique sexcentis abstineam exemplis, haec dixerit? Quis, ni cerritus apud eruditulos, graeculosque, et primoribus labris omnia delibantes, hocce gerrularum effutiet, aut popello venditarit, quin vel a pueris petulcis, et ipsa gaudeat pulsari plebecula? An non quaelibet voluptatum altera manca, debilis, imperfecta, fragilis, fluxa, caducaque

exstatura *? An non haec contra firma, constans, stabilis, absoluta, gloriosa, aevique prorsum sempiterni **? Quod si usquequaque verum est, cur clariora huiusce rei argumenta, locupletioresque testes minutatim conquisivero? An non haec ipsa felicitas votis omnibus, ac desideriis praeferenda, quae sapientiae vestrae A. A. O. O. egregiisque plane consiliis innixa, nunquam suo loco moveri, nec minui unquam, pessumque ire, debilitari, frangi, obteri, labefactarive poterit? Oh jucundissimam igitur beneficii vestri recordationem! Oh diem beatissimum, sempiternaque gratissimi animi memoria, plausu, adclamationibus, voce, gestuque mihi concelebrandum, dilaudandumque! Gratulor, et jure quidem optimo, iterum gratulor ipse mihi bono, ac felicitate tanta: gratulor gloria ista nulli secunda: gratulor, et sexcenties gratulabor, nec secus ac quasi iselasticus *** a vobis fuerim honestissime

---

* Θνητὰ τὰ τῶν θνητῶν, καὶ πάντα παρέρχεται ἥμας
Ἥν δὲ μὴ ἀλλ' ἡμεῖς αυτὰ πάρερχόμεθα. *Lucian.*

** τί ὠφελιμώτατον; ἀρετή. καὶ γὰρ τ' ἄλλα τῷ χρῆσθαι καλλῶς ὠφέλιμα ποιεῖ. τί βλαβερότατον; κακία. καὶ γὰρ τὰ πλεῖςα βλάπτει παραγενομένη. *Plutarch. in septem Sapientium convivio tom. II. Edit. Xyl. pag.* 1531.

*** Iselasticus: *Graece* ἐισελαςικὸς *ab* ἐισελαύνω invehor, ingredior, ut iselastica certamina, in quibus victores cum magna pompa coronati quadrigis introducebantur quisque in patriam suam. *Plin. lib.* 10. *ep.* 119. Quae pro iselasticis certaminibus constituisti. Iselastici etiam

dimissus, eoque etiam magis, quo cetera praesenti fortunae conlata nihil cum huiusce diei felicitate communis habeant, et tamquam sole premente nebulas tenuissimas in auras abeant, vanescant, dissipentur. Sed cur non verear, et jure quidem meritissimo, ne turpe sit, minimeque deceat in re tam plana, perspicuaque apud supremos rei literariae Judices rationum uti ponderibus non necessariis? Quis haec bardus nisi, blennus, aut bucco literis, monimentis, vel usu vobis coram statuminari, fulcirique debere censuerit, quin illo velit adagio reprehendi tritissimo? ὁ ἥλιος πρὸς τὸν λύχνον. Si enim M. illum Pisonem hoc sibi in animum apud Tullium demisisse accepimus, iis nos locis in quibus memoria dignos viros, quosque (ut ita dicam) omnes artes ipsa edocuit Minerva, jam fuisse versatos intellexerimus, moveri jucundius, leniusque oblectari, quantum per Deum immortalem hinc etiam gaudii, suavissimaeque voluptatis mihi oboriatur oportet, cum a summis illis, et eloquentissimis viris, qui me aetate, ingenio, studiis, meritisque antecessere, tum ab iis, quos illorum gloriae, doctrinae, virtutumque

---

dicebantur ipsi victores. *Id ibid.* Ego contra scribo iselasticorum nomine. Iselasticum, absolute pro eo, quod iselasticis victoriae nomine dabatur. *Trajan. ad Plin. ep.* 120. Iselasticum tunc primum mihi videtur incipere debere, cum quis in civitatem suam εἰσέλασεν. *Calep.*

aemulos undique ex hoc ipso loco intuentes, vultuque exporrecto me perhumaniter audientes cerno! Hîc, ubi post hasce aedes a VICTORIO AMEDEO eius nominis II Regum sane fortissimo, perspicacissimoque Regia pompa, et Attalicis sumtibus postliminio veluti restitutas novimus, quot, quantos, qualesque viros multiiugae eruditionis copia, et purioris doctrinae elegantia spectatissimos connumeratos, adscriptosque fuisse non sine admiratione recordor? An te eloquentiae Professoris munere juste, sapienterque fungentem tacitum Regolotte relinquam? Nec te memorem disertissime Lama? An Tagliazucchium, Ricolvum, Rivautellam, Pasinium, Triverium Franciscum, aliosque non paucos turpi obruam silentio, quorum et Graecanici, et Latini, Hetruscique sermonis facilitatem, peritiam, elegantiam, ingenium, et eruditionis copiam eorum opera, typisque in communem utilitatem evulgata, satis superque commendant, et notis scriptoribus aevum prorogantia, illa laudibus cumulant, coeloque adtollunt? Oh viros illos immortalitate dignissimos, qui veteri e scholis barbarie depulsa, et prisco a literis squalore deterso, splendidiorem, vividioremque honestissimis disciplinis lucem attulere! An te, Chionî, latinae eloquentiae decus, et cuius ex ore Nestorea illa, ac melle dulcior fluebat oratio, et de qua suapte natura elegantissime Homerus lib. I. v. 247. . . . . Τοῖσι δὲ Νέσορ

Ἡ' δυεπὴς ἀνόρουσε, λιγὺς Πυλίων ἀγορητὴς,
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μελιτος γλυκιων ῥέεν αὐδή.

fortasse silebo? nec tui, quem perorantem, animosque quo velles blande moventem hac ipsa in luce vidi, et multis abhinc annis non sine laude accepi, acrius memoria excitabor, vehementiori gaudio, laetitiaque praegestiam? Haec medius fidius, aliave tot, tantaque sunt, ut me vix comprimere, modumque statuere orationi possim: sed quum oculos, mentemque ipsam ad te converto, Vige clarissime, qui quum latinae eloquentiae in hoc Regio Athaeneo Antecessoris munus sapientissime obeas, idque tam scite, et pereleganter, ut nec antiquum Latium * tam latine putem audivisse, et te beneficii huiusce utroque, uti aiunt, pollice fautorem mihi exstitisse memini, quae verba, quos animi sensus non expromerem, ut gratum tibi, memoremque animum testari possem, ni spatiis nimium hisce forem iniquis disclusus? Quam nulla hîc laudum tuarum materia sterilesceret, si vel digna cedro, digna quae levi cupresso serventur latina poemata, ad quae natura comparatus, factusque esse videris **, aut alìas, aut nuperrime edita attingerem,

---

* Vehemens, et liquidus, puroque simillimus amni
Fundet opes, Latiumque beabit divite linguâ. *Hor. lib. II. ep. 2.*

** . . . σοφὸς ὁ πολ-
λὰ εἰδὼς φυᾷ.
μαθόντες δὲ λάβροι
παγγλωσσίᾳ κόρακες ὥς,
ἄκραντα γαρύετον,
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.
ΠΙΝ. ΟΛ. ΕΙΔ. Β'.

quae vel ipse Palatinus Apollo recipiet*? Tibi autem, ut cetera deessent, quae omnia in te sunt, et magna quidem, ac singularia praeconiorum argumenta, non pauci tuo qui ex literario ludo, tamquam, si ita loqui fas est, ex durateo ** illo Troianorum equo Principes prodiere viri doctrina imbuti, qualis sis, quantusque satis evincerent; sed unus e multis illud apertius ostendit vir ille, qui inter ceteros emicat, velut inter ignes luna minores, ut ait Venusinus poeta, clarissimus inquam Regis doctrina omni, et eruditione perpolitus, Graecae, et Hetruscae eloquentiae Professor, qui ceu rara avis eo viridiori aetatis tempore, atque uno fere impetu, ac saltu convolavit, quo vix provectiores, longissimisque itineribus pervenisse vidimus. Quorsum vero haec? temporis angustia illuc me ductum esse video, ut vela colligere necesse sit,

---

Natura vatem sola facit: labor
Si quos per artem promovet improbus,
Clamore ne quicquam procaci
Rauca crepant crocitantque corvi
Contra ministrum fulminis alitem. *Pind. ut sup.*

* Scripta Palatinus quaecumque recepit Apollo?
Hor. epist. lib. I. epist. III.

** Δουρατεὺς, δούριος, ligneus, a δοῦρον, lignum.
Lucret. lib. I. v. 746.

Nec cum durateus Troianus Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Graiugenarum.

et quasi in medio orationem abrumpere. Unum tamen de quo et beneficium vestrum, et huiusce diei faustitas, et amplissimi huiusce loci parietes taciti quodammodo me admonere videntur, et praeteriri nullo pacto potest, dicam adhuc, vereque dicam hoc ipsum nempe Taurinense Archigymnasium a prudentissimo Rege, accitis hisce novis, lectissimisque in hoc Collegium sociis virtute, doctrinaque splendidissimis singulari, ac praecipuo quoddam fuisse ornamento condecoratum. Qua quidem in re, quantum magnanimi Regis summa, ac plane singularis erga musas, earumque cultores propensio effulgeat, quis non agnoscat, videat, admiretur? Dubitari enim nullo pacto potest, quin ex florentissimis hisce ingeniis, apprimeque in omni literarum genere versatissimis aurea illa literarum aetas, quae Augusti aevo viguisse dicitur, VICTORII AMEDEI III semper Augusti munificentia in hac ipsa Academiâ novis honestamentis, novis praemiis, novis insignibus renovata, ac restituta esse videatur. Quam merito igitur TAM PIO, JUSTO, GLORIOSO, CARO, AUGUSTOQUE CAPITE, PRINCIPE, inquam, ET REGE NOSTRO FLORESCENTE, veteri illa Romanorum forma, conceptisque verbis marmoribus etiam, et huiusce Lycei parietibus haec ipsa inscriberentur! FELICITAS TEMPORUM, FELICITAS SECULI, FELICITAS PERPETUA, REGNI HABENAS INVICTISSIMO VICTORIO III PATRIAE PATRE AMANTISSIMO MODERANTE, ET ACADEMIAE NOSTRAE RESTAURATORE MUNIFICENTISSIMO. DEUS ILLIUS

VITAM SERVET, ANNOS AUGEAT, IMPERIUM FORTUNET, GLORIAM IN SECULA TRANSMITTAT. Nam ut alia missa faciam, quae magna procul dubio sunt, atque miranda, illud hac in re animo, menteque perviderat, quod conquisite memoriae tradidit Seneca, illud demum beneficium esse, quod auctorem suum, ut ille ait, ingenerat semper, et inculcat. Perviderat, longeque prospexerat haud satis dari, et si necessaria, utilia, et jucunda darentur, si quae elargiantur duratura non essent, omniumque simul ante oculos minime obversarentur, praesentesque homines ita vereri condiscerent, ut ceteris literarum meliorum, politiorisque elegantiae Collegium comparari posset undequaque. Quo quid illustrius, quid dulcius, aut ad acuendam studiosorum industriam, ingeniique eorum vires, qui vere ad Cleantis lucernam impallescentes neglecti delitescebant, nullamque laborum mercedem, quam conscientiam ostendere poterant, promovendas efficacius licuisset excogitari? Laudent quidem, etiamquenum praedicent, ad sidera tollant veterum annalium scriptores Augustum Caesarem, quod P. Virgilium, L. Varium, Horatium Flaccum amplissimis praemiis auxerit, et exornarit, atque incredibili etiam liberalitate M. Vitruvium Pollionem excitaverit, largissimeque remunerari haud sit dedignatus: laudibus alii Vespasianum concelebrent, hominem pecuniae alioqui avide inhiantem, quod poëtas coëmisse aliquot intellexerint: Hadrianum alii exornent, nomenque eius ad sidera ferant, aeternumque commendent: haec vero, quota pars eorum

est, quae benignissimus Rex ad haec nostra Musarum dona respiciens in nos conferre munifice, ac largiter non dubitavit? illic enim singulos enumerare potes, hîc vero vix exitum in percensendo reperies: quas itaque hos inter, ego tibi potissimum gratias hodierna luce, Rex maxime, meo, et Collegarum eruditissimorum nomine agere potero, quae quidem meritis tuis, ac virtutibus impares non sint? Utinam mihi esset tanta vis ingenii, ac tanta dicendi facultas, ut summum, ac incredibilem tuum erga literas, et literatos amorem vivis eloquentiae coloribus, si non exprimere, at saltem adumbrare possem! Utinam magnitudinem beneficii tui, quo me, Collegas omnes, humanioresque ipsas artes nova insignia gestantes ita exornasti, ut non modo de tuis temporibus, sed de omni quoque posterorum memoria bene mereri potueris, data mihi esset explicandi copia! Verum, quis per se se in hoc tam singulari, tamque Regio benefacto tuam erga literas propensionem, vigilantiam, sollertiam non contempletur, admirabundusque colat, veneretur, atque suspiciat? Ibit in secula fuisse Principem mitem adeo, ac magnum, facilem, benignum, qui ut libet civilibus, et militaribus negotiis districtus, et queis paterne magis, quam Regie addictus res nostras tutatur, moribus exornat, ac legibus temperat sapientissimis: qui quamquam modo in novo militum versetur delectu, acies cogitet, meditetur agmina, cohortes integret, copias instruat, arces quandoque invisat, propugnacula firmet, restauret, ut ea non minus quae ad urbium defensionem, quam quae ad

exterarum halosin *, si casus inciderit, prospiciat, maturet, efficiat, aliaque eiusdemodi Imperatoris obeat munia, nullam tamen occupationem esse potuisse tam seriam, tam gravem, quae eius erga liberales artes voluntatem aut extenuare valuisset, aut ne ita imminuere quidem, ut de iis ornandis, augescendisque identidem, impenseque non cogitarit. Oh Regis consilium admirandum in literis fovendis, quae domi non minus, quam bello utiles semper apud gentes, populosque omnes habitae fuere! Oh sortem nostram gloriosam vere, ac nulli ornatu, nomine, ac titulo anteferendam! Haec autem porro, nisi quis ita magna judicet, nihil ut illis possit esse praestabilius, nae iste iniquus esset rerum aestimator, nec quae maximarum laudum adoreis anteponenda sint, ille mecastor intelligere satis videretur. Exsulta igitur, o fortunata meliorum, praestantiumque literarum, hac Regis in te propensione admirabili, Academia: exsulta, et quoad fieri possit, tuus hic ab illo splendor, tuum hoc decus, tua haec dignitas in patriam quoque, tuos, exterasque gentes, et posteros assiduis curis, assiduisque laboribus profluat, pleniusque redundet. Exsulta . . . verum enim vero, quo me tandem abripi, abstrahique sino ? Gratuler

* ἅλωσις, captio, sive expugnatio. *Suet. in Nerone cap.* 38. Laetusque flammae, ut aiebat, pulchritudine, halosim Ilii decantavit. Optimi tamen codices habent ἅλωσιν, graecis literis.

postremo, mihique ipsi gaudeam potius est operae precium, tibique, Praeses * amplissime, καὶ ἐν τῃ λογικῃ consummatissime, quas debeo grates referam, qui ut ut in omnibus catus revera, cordatusque sis, et cum philosophia optima illa quidem, nec pravis deturpata argutationibus, captionibusque fallacissimis, tum omni' doctrinarum genere excellas, eaque quam profiteris, ratiocinandi arte ita polleas, ut in omnibus Argus veluti cernas acutum, remque acu in singulis tangas, aequissimus tamen, ac benignissimus adeo erga me fuisti, ut apud amplissimos rei Literariae Moderatores potentius, amantiusque pro me ageres, ut tantum possem honoris, ac dignitatis apisci. Tua autem ope, quandoquidem in hanc ultro mentionem incidi, an me illum verecundo sinas obruere silentio, cui tam beatam, tam laetam, tam faustam sortem acceptam omnino refero? Ingratissimus porro mortalium essem, si hoc illi beneficii, gratiaeque animo tantum, nec voce testari posse censerem, qui a pulvere, et radio ** unus me excitavit, et in haec sapientiae adyta sua veluti manu, arrepta intulit occasione. Ignosce vero, Censor, et Moderator splendidissime, et huiusce

* Clarissimus T. Teppati AA. LL. P.

** Adagium e mathematicorum scholis desumtum, quo utimur, quum aliquem ad sublimiora studia excitatum dicimus. Pueri enim studia ab arena, et radio auspicabantur.

Academiae lumen fulgentissimum, literatorumque fautor, atque delicium, meumque praesidium, et decus plane egregium, ignosce, si te alloqui, te hodierna ausim luce compellare. Nam si te uno adiuvante mihi emergere * tantummodo licuit, quî potero tui oblivisci, qui divino illo ingenio, illa humanitate, illa doctrina, qua maximopere emicas, illo suaviloquenti ore, quo suades, ductu tuo, auspicioque secundum Deum in hunc me amplissimum dignitatis gradum extulisti? Tu me, quorum es amor, rei Literariae Praefectis sapientissimis non semel, sed saepe, non perfunctorie, sed impigre, non segniter, sed acriter commendasti. Tu me Viro tradidisti Excellentissimo, eique, qui non tantum toga illa laticlavia, splendida quidem, ceterisque insignibus decorus incedit, quam ea propriis virtutum luminibus exornet, illustrioraque faciat, auctor tantae mihi dignitatis, suasorque exstitisti. Tu me integerrimae illius fidei, et tutelae, quo curatius vix ullus potuisset, commendare haud renuisti, eique totam studiorum meorum rationem aperire, qui et unus ob sapientiam summam universae rei Literariae Praefectus est, et ab Rege invictissimo ob singularem

---

* Neque enim cuiquam tam clarum statim ingenium est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam, commendatorque contingat.
Plin. jun. ep. 23. lib. 6.

doctrinam, prudentiam *, et rerum usum, eximiasque animi, corporisque dotes Minister non solum adhiberi voluit, sed et Consiliarius, ac Protopraeses merentissimus: illi demum, cuius vultu mansuetiores ipsas musas aut mirum in modum erigi, et recreari si eas facilis more suo respexerit, aut omnino languescere, et prope etiam concidere, si vel paullulum se se ab iis averterit, nemo nostrum, qui nesciat, nemo, qui non videat, nemo est, qui ulla possit ratione, nisi caudex addubitare. Tibi itaque primum, Maecenas Excellentissime, tibi inquam, sinceriori, qua potero grati animi significatione, dumque superstes ero, gratias agam non solum, sed usque habebo, et usque. Tibi vero, non jam Romuli nepotum more aut blandiendo, aut assentando, sed ex animi sententia **DECENNALIA**, **VICENNALIA**, aut **TRICENNALIA**, et ultra, si liceat, precamur; neve ut tu diutissime rei praeficiare Literariae, profano, quod abominantur, commenticioque Quiritum ritu diis, deabusque vota gratulabundae, et solito fulgentiores Camoenae nostrae nuncupabunt, sed Deum illum **, suo qui numine coelum, terrasque

---

* λελογισμένοι γὰρ, οἱ τοιοίδ' ἐισι βροτῶν
ὀρθῶς διαζῆν τὸν βίον γνώμης μέτα.
Euripid. in Iphigen. Act. IV. pag. 329. Edit. Gastb. Stiblin. Basil.

** ἐν ᾧ ἐισι πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας, καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι. *Ioh.* 14. v. 6.

providentissime torquet, demisse καὶ φιλοτίμως efflagitant, precibusque, ut illis diutius intersis, si opus etiam, fatigabunt, ut te nobis servet, sospitem servet, incolumem servet, atque florentem: servet te decus, et literarum nostrarum gloria tanto augustior, quanto sapientior es animo, virtute, consiliis. Non tibi, quod et olim superstitiosa antiquitas, Academia haec nostra aram, templumque est dedicatura, eoque ut quondam specioso ad gloriam, pompamque compositissimo nomine, ac titulo: HERCULI MUSARUM, quod eam, nedum ad tantam dignitatem evexeris, ut ne quid deesset honoris, et eximiae auctoritatis, sed etiam ab obscura illa, in qua delitescebat umbra, ad debitam ipsi dudum lucem, gloriamque vindicaris; sed genuinum te, germanumque MUSAGETAM, et rei literariae STATOREM, SERVATOREMQUE, DEPULSOREM, PRAESTITEM etiam, atque CUSTODEM, non uni seculo tantum, aut plurimis, sed aeternitati ipsi quâ prosa oratione, quâ divinis, variique generis carminibus, quorum id proprium *, certatim est, eritque commendatura. Et quoniam, te Auspice, te Servatore,

---

* Ψήχει καὶ πέτρην ὁ πολὺς χρόνος, οὐδὲ σιδήρου
   Φείδεται, ἀλλὰ μιῇ παντ᾽ ὀλέκει δρεπάνῃ
Ὥς καὶ Λαέρταο τόδ᾽ ἠρίον. ὃ σχεδὸν ἀκτᾶς
   Βαιόν ἀπὸ Ψυκρῶν λείβεται ἐξ ὑετῶν.
Οὔνομα μὴν ἥρωος ἀεὶ νέον. οὐ γὰρ ἀοιδὰς
   Ἀμβλύνει αἰὼν, κἢν ἐτέλῃ, δύναται.

A. incer.

Athenae illae * Atticae cunctis olim, et laudatissimis artibus affluentes, nunc denuo in Taurinensi hoc Archigymnasio, et melioribus auspiciis, et splendidioribus item ad conciliandam illis hominum reverentiam honestamentis, renovatae videntur; nec ullus est dubitationi locus, quin amplissimum hocce Collegium tuo erga illud patrocinio, benevolentiaque futurum sit, ut vigeat aeternum, et claritudine efflorescat, in melius, maiusque etiam promoveatur, fructusque uberiores, laetioresque ad Rempublicam sit allaturum, religio illi erit sarta, tecta tua nullo non tempore mandata, ac praecepta facessere, colere, atque servare.

---

* Duo praecipue loca Athenis erant, Academia, et Lyceum. *Coring. antiquit. Academ. pag.* 9.

Quod ad Academiam attinet, erat aedificium nobile, amplum, et amoenum, et ibi schola Platonis, unde sectatores eius Academici dicti. *Pausanias cap.* 29.

ἐγγυτάτω ϗ Ἀκαδημία, χωρίον ποτὲ ἀνδρὸς ἰδιώτου γυμνάσιον ϗ ἐπ' ἐμοῦ.

In Lyceo fuit Peripatus, Aristotelis deambulatio. *Harpocrat.*

ἓν τῶν παρ' Ἀθηναίοις γυμνάσιον ἐστι Λύκειον.

Non dubium est, quin et in Academia, et Lyceo publice oratoriae partes praeceperint, licet saepius in Lyceo contigisse videatur. *Cicero in Oratore c.* 20.

Fateor me oratorem non ex rhetorum officina, sed ex Academiae spatiis exstitisse.

Ipse vero de me, ut paucis, dum charites, easque singulares et habeo, quia cupio, et reddo, quia debeo cum tibi maximas, tum ceteris auctoritate, nobilitate, ac virtute spectatissimis, A. A., et Collegis amantissimis, quorum praecipua humanitate, benevolentiaque hoc mihi ornamenti, et dignitatis adcrevisse intelligo, si minus re ipsa respondere potero, consequar saltem amore, studio, et diligentia, ut magnopere voluisse videar. Quoties enim inter hosce parietes, quoties inter haec versabor subsellia, toties summorum, eruditorumque virorum, qui me praeivere; toties eorum maxime, quos mecum adlectos, connumeratosque fuisse video, carissimosque sinu complector in illustri posita monumenta intuiturum polliceor, omnique adseveratione id me sollicite perfecturum confirmo; et quemadmodum illicet mihi per haec loca quoquo versus eorum ingenii, doctrinaeque literis consignata monimenta, et quamplurima occurrent ingenii specimina, quibus sum socius dignitatis istiusmodi, ac muneris, ipsorum vestigiis proxime, adcuratissimeque mihi insistendum eo pacto existimavero, ut ne vel latum quidem unguem ab iis ullo modo discessurum, in eosque, veluti in metam oculos defixe coniecturum ingenue, constanterque profitear. Et quoniam in eo, quo versor, viris ipsis naris in quolibet disciplinarum genere emunctioris, salebroso prorsum, lubrico, et negotii pleno doctorum operum castigandorum munere, transversoque calamo atrum quâ peccent signum

allinendo, ac τῶν τύποθετῶν * praegrandia saepe, turpissimaque errata censorio ** veluti supercilio notando, qui sexcenties licet moniti, eodem recidunt, aut crassiori minerva, et unius vesana quaestus occoecati cupidine, paucos si demseris, temere festini in alia, eaque abnormiora foedissime, meo nec sine rubore prolabuntur, aut utilitatis, splendorisque multum, aut intertrimenti contra ***, καὶ ἀσάφείας, ἐ ἀμφιβολίας sive vigili curâ, sive oscitantiâ in rem ipsam literariam derivaturum certum habeo, exploratumque, cum beneficio vestro naviter, uti meus, et collegae amantissimi mos est, huic literarum parti gravissimae vacandum intelligo, tum etiam eo acrius, constantiusque mihi adnitendum putavero, qui eum sum Moderatorem nactus amplissimum, in quem, quum faventiores superi, aequioresque omnia naturae, animique large, perque liberaliter ornamenta congesserint, nihil non pulcri, nihil non magni, excelsique ab egregia ipsius in literas voluntate, doctrina, ingenio, morumque facilitate est exspectandum. Excubat videlicet huic arti praestantissimae reficiundae, exornandae, amplificandaeque virtus illa singularis, quae ipsa per se satis bonum a pravo, ceu lydio lapide secernere novit, et inlustrare praesertim, atque emendare

---

* Typothetarum.

** Censorio, adlusio ad antiquitates Romanas de censorib.

*** Obscuritatis, et amphiboliae.

si quid in veterum, recentiorumque auctorum monumentis obsoletum foede, male comtum, ac prave tortum, vel minus lucidum, aut error forte aliquis irrepserit barbarorum sive seculorum vitio, sive, quod frequentius, typographiae ipsius hallucinatione facillima, quae cum studiorum alma nutrix nata sit, tum etiam librorum corruptrix saepe reperitur. Nihil enim illi tam impervium, nihil tam novum, atque inusitatum potest exhiberi, quod non comprehendat, teneat, assequatur, meamque non raro zothecam ipsam blandissime ingrediens in luce mihi non collocet splendidissima: nullum opus tam involutum ambagibus offendere porro est, quod ipsius acumine, vigilantia, acerrimaque sollertia, tersissimoque judicio nova pariter gloriae accessione literariae Reipublicae bono non sit proditurum ornatius, quippequae eo pacto est suapte natura comparata, ut nihil, nisi erroribus iis tribuat veniae, *quos aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura.* Excubat ingenium illud, cui haud satis fuit a prima pueritia quicquid scientiarum, elegantiarumque est coluisse diligenter, sed ex ipsis vix egressum ephebis et ad illud generosam appulit indolem, ut jurisprudentiae studia capesseret gravissima, in iisque celerrime adeo proficeret, ut ea eximie omnino calleret. Quo factum sane, ut veram illam Cuiacii, Alciati, Hothomanorum, Budaeorumque gloriam prae oculis quum semper haberet, et superciliosam illam, futilemque glossatorum, rabularumque eruditionem calcarit merito, atque despexerit, Themidis ipsa mysteria

ita rimatus est, assequutusque, ut late, & ἀσφαλῶς in illius possit templo dominarier. Satin' illud A. A.? haud sane; ac ne quid illi demum, tamquam in Apellea tabula deesset, studiis denuo elegantioribus selectissimum admovit animum, totumque ita disciplinarum orbem perlustravit, graecisque simul adeo imbui literis adsiduis contendit lucubrationibus, ut ipse ex se sufficeret, ne clariorum auctorum monumenta publici juris facienda naevo aliquo inspersa ederentur, eaque labe omni expurgata attrectare cuique facile liceret; idque illi certe adeo in deliciis, cordique est, ut quondam Budaeo, Turnebo, Mureto, Casaubono, Pitisco, Graevio, Maffeio, Polito, Mabillonio, Harduino, Papebrochio, Spanhemio, Vaillanti, Grutero, Cluverio, Brieto, Samsoni, Usserio, Scaligero, Sirmondo, Binnio, Crabbe, Labbaeo, aliisque in omni literarum genere instructissimis curae fuisse memoriae proditum legimus. A te vero, Vir fulgentissime, veniam tua pro humanitate eo exoraturum facilius confido, quo haec, quibus te interpellarem habui, meo ne tantum officio, obsequioque deessem, nihil hac quidem in re minus veritus, quam assentationis, gratiaeve suspicionem, quod ea, quae omnibus vulgatissima sunt, quaeque ad me jure quoddam unice pertinent, narravi, non ornavi. Nam neque oportuit reliqua animi tui praeclara decora huc afferri; quum singula abs te profecta noverim esse ipsa per se maxima, neque decuit maiorum tuorum illustria domi, belloque facinora, aut immortalia, quibus

etiamnum literae gloriantur ingenii monumenta attingere, quae licet magna per se sint, et perpetuo duratura, effecisti tu tamen, et consequutus es singulari virtute tua non modo, ut nulla eorum commendatione indigere videaris, sed etiam, ut illi ipsi, propter egregia, quae in te sunt doctrinae, et naturae ornamenta clariores apud nos hodie esse videantur. At nunc, quem non inanis timor, ne adpellare quidem sivisset, tuas ne culpa ingenî, meritas detererem laudes, ecquis non te agnoscitet, Bricî Comes mellitissime, Bricî in singulis fere literatorum hominum conventibus, coetibus, academiis exoptatissime? Patere itaque, et aequa quidem, bonaque uti assuesti mente, patere, inquam, quaeso, veniamque benignus imperti, si grati animi, et tibi debitum munus exsoluturus consilium meum tandem vicerim, ac votum. Timui enim, ne ingratus fierem, eoque apud te ipsum die, quo me officiosum maxime, et summo devinctum opere viris literatissimis esse oportebat. Et quandoquidem illud omnibus item exploratissimum est, totam tui ipsius vitam cum Artium nostrarum studio fuisse coniunctissimam, quî poteram in tanta hac mea beatitate silere, teque tacitum omnino praeterire, quem omnes non tam mei fautorem, quam ingenuae, et castae latinitatis amantem, patronum, et vindicem probe norunt? Quî te, inquam, ignavo poteram silentio praeterire, quem et officiosa literaria Respublica animi significatione venerari jam gestit, quaeque nec sero, ni fallor, et verae

poëseos caelo * natae gloria candide auspicor, Itali poëtae celeberrimi, sanctissimique, Cottae nimirum epigrammata subsecivis a te horis, latino, puroque carmine reddita, novem opus musis coelatum, dextroque exaratum Apolline publici juris fieri, tuoque extrudi e pluteo morae indocilis praestolatur? Nec vero mihi quisquam id vitium adpellet, succenseatque, qui de te edisseruerim; aut quae re nata dixi nasute distringat, italoque, uti inquiunt, perfundat aceto, quippe non fuisset hisce, reclamitante Horatio, locus. Fallitur enim is, quicumque fuat, totoque aberrat

---

Al Ciel la vera poesía risurga
Dal Ciel discesa, e per linguaggio data
A rispondere al Ciel, quando a noi parla;
E fuor de' ceppi fate al fin che surga
Dell' empia figlia, che la tien legata
Barbaramente al suo piacer per trarla.
Deh stendete la mano a sollevarla
Di sotto il peso della sua rovina.
Mirate, quanti, benchè sia Regina
D'ogni saper, s' affollano a insultarla.
Sospira la meschina,
Che la figlia superba in varia spoglia
Con l' ozio vil s' ammoglia,
E passa fra le stolte umane squadre
Sopra la fama dell' illustre Madre.

Lorenzini pag. 124.

coelo, qui tuo non videt praesidio musas quoque nostras gavisuras, quae et nitentiores in lucem prodire poterunt, totique integerrimas terrarum orbi se ostentare, tuo, inquam, praesidio, patrocinioque, quo et Regium Typographeum immortale ne dum est caput elaturum; sed et eas simul laudes referet, quas olim Roberti Stephani officinae merito eleganti carmine tribuit Iohannes Auratus *. De te vero jam finis sit, qui ut de

---

Inter tot, hac aetate, belle qui typis
  Cudunt minutulis-libros,
Primas, Roberte Stephane, tu partes tenes,
  Reclamitante nemine:
Seu quis requirat literae elegantiam,
  Caesis in aes e formulis,
In plumbeas abire jussam tesseras,
  Vulcania juvante vi:
Seu linearum nobilem symmetriam,
  Oculos quod acres plurimum
Juvet legentum, haud indecenter omnibus
  Suum tenentibus locum.
Versus spatiolis rite distinguentibus,
  Parvis perinde ut areis,
Quas hinc et inde susque deque continent,
  Cohibentque certi margines:
Seu quis (quod ad rem perti net vel maxime,
  Quam quaerimus) solertiam,
Ac diligentiam sagacem postulet,
  In eluendis omnium

Marco Catone ait Sallustius, cum bonus esse malis, quam videri laudes omnes fastidis, atque aversaris, iisque omnem, quâ potes aditum intercludis: agam ideo, quod propius ordo ipse praecipit, eoque unde paullulum digressus eram, brevissime revertar, meque cum beneficii vestri memorem, Collegae sapientissimi, dum anima exsuperabo mea exstiturum profiteor, tum etiam ut amplissimi huiusce Ordinis vestri dignitati respondeam pro aris, focisque ipsis nullo non tempore adnisurum ingenuâ qua possum pollicitatione confirmo. Faxint vero superi, ut illud, qua ego fide in me recipio, eâ etiam examussim praestare, et integre exsequi possim! Quod si autem et illud dein impetraro, ut eos, quorum permagni interest maxime hîc esse omnia consulta prudenter, apteque constituta, consilii eorum, ac deliberationis minime poeniteat, judiciumque perhonorificum, quo ab iis sum insignitus, tueri, ac sustinere valeam, tum demum beneficii tanti, tantique gaudii, eximiique honoris fructum uberrimum, sincerumque percipiam, et cui nihil unquam sive ad animi oblectationem dulcius, sive ad nominis celebritatem illustrius, magnificentiusve aliquid adhuc splendoris, incrementi, decorisque accedere posse videatur.

Naevis librorum; ne qua labes sordium
  Doctorum operibus insidens
Obstaculo sit imperitioribus,
  Doctisque bilem conciat. &c.

PRÆSIDUM FACULTATE.